

## SIGNUM SANCTAE CRUCIS

*In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen*

## DOXOLOGIA IN HONOREM SANCTISSIMAE TRINITATIS

*Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.*

## SYMBOLUM APOSTOLORUM

*Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus est iudicare vivos et mortuos.*

*Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.*

## SYMBOLUM NICAENUM

*Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis, et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre [Filioque] procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas, et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

*Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.*

## ORATIO DOMINICA

*Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.*

### **SALUTATIO ANGELICA**

*Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Iesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.*

### **ORATIO AD ANGELUM CUSTODEM**

*Angele Dei, qui custos es mei, me, tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen.*

### **ORATIO PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS**

*Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.*

### **SALVE, REGINA**

*Salve, Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exsules, filii Hevae, ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis, post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.*

### **SUB TUUM PRAESIDIUM**

*Sub Tuum praesidium confugimus sancta Dei Genetrice. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, Consolatrix nostra, Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commanda, tuo Filio nos repraesenta.*